



38

DISSERTATIONE PRIORE
PRAETERMISSA QVAEDAM
DE
DIONYSIIS
SICILIAE TYRANNIS

IN
ACADEMIA FRIDERICIANA
PRID. ID. IANVAR. ∞ 1000XXXVI
PVBLCICE TVEBVTVR
FRID. GVILIEL. ROLOFFVS

36

BEROLINAS
ART. ET PHIL. MAG.
AC
DEFENDENS
AVGVSTVS PETRVS BORNEMANNVS

SCHOENEBECCA MAGDEBVRGICVS

LITTERIS IO. HENR. GRVNERTI ACAD. TYPOGR.

34



DISSENTATIONE PRIORE
PRAETERMISSA QVAEDAM
DE
DIONYSII
SICILIAE TYRANNIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA
FRID. ID. JANUAR. MDCCCXXVI
PUBLICE TUEBNTUR
FRID. GUILIEL. ROLOFFIUS
BEROLINAE
ART. ET PHIL. MAG.
DRESDENAE
AVGVSTVS PETRVS BORNEMANNVS
SCHONBECHE MAGISTROGIVS
LITTERIS IO. HENR. GRVNTZL ACAD. TYPOG.



V I R O
AMPLISSIMO AC DOCTISSIMO
MATVRINO VEYSSIERE
LA CROZE

BORVSSIAE REGIS A CONSILIIS A BIBLIOTHECA
ET ANTIQVITATIBVS

REL.

PATRONO VNICO ET PRAECEPTORI
OPTIME DE ME MERITO

LIBELLVM HVNC ET ME IPSVM ADEO
E VETERI FORMVLA

D' D' D' D'

ERVDITIONI ET VIRTVTI IPSIVS

PERPETVVM DEVOTISSIMVS

FRIDER. GVILIEL. ROLOFFIVS



V I R O
AMPLISSIMO AC DOCTISSIMO
MATVRINO VEYSIERE
LA GROZE
BORSSIAE REGIS A CONSILII A BIBLIOTHECA
ET ANTIQVITATIBVS
PATRONO VNICO ET PRÆCEPTORI
OPTIME DE ME MERITO
LIBELLVM HANC ET ME IPSAM ADEO
E VETERI FORMATA
D. D. D.
EDITIONI ET VIRTUTI IPSIVS
FRIDER. GAILLE. ROFOFFVS



obvium inuentione magno
-mimioi dno et pmo inuag
biuphio dno. Cum enim quid
-o, bulli ai pmo dno et
ni houp, auT subpina pmo
paeqna scilicet parte mero po
no: adpina am omno uicidum
esse commoditate opiat, & opac
-oqna miam q am m T ni miam
niam in Te miam piam sere
qup hiam miam miam miam
Si magis uirium mearum consci-
entiae, quas noui admodum esse
exiguas, quam pietati aduersus
Te meae in nuncupanda isthac scri-
ptione obsequendum statuisssem: fu-
isset ea ad alios potius omnes adle-
ganda, quam ad Te, uir doctissime,
deferenda, qui omnem litterarum
pene infinitam uim et materiam scien-
tia

XII

tia

tia et cognitione comprehendas. Verum illa quidem utcumque sint, mali insolentiae temeritatisque suspicionem apud quosdam incurrere, quam Tibi, ceterisque omnibus, quibus non obscurum est, quae sit Tuorum erga me meritorum magnitudo, ingratum nomen et beneficiorum immemor uideri. Cum enim quidquid habeo, quantumcumque sit illud, totum habeam e disciplina Tua, quod in praecipua felicitatis parte merito pono: arbitratus sum omnino utendum esse commoditate oblata, & obseruantiam in Te meam, priuatim saepe, quod humanitati adsignare Tuae soleo, Tibi adprobatam, publice etiam hoc loco, demonstrandam. Ita me instituendi quas causas habeam, iustas profecto, et quantum opinari possum, idoneas, praestabit, credo, cum aliis rebus, quarum mihi memoria grata et iucunda semper futura est reticere, quam latius disserendo immodestior multis

multis uideri. De Te uero, litterarum u-
nicum decus, cui nihil neque a natura
negatum, neque a doctrina non dela-
tum esse, uno ore prudentiores confi-
tentur, si dicere, uitaeque elegantissi-
mae uerissimas laudes praedicare inci-
piam, uereor ne et modestiam onerem
Tuam, et nihil tamen cuiquam nouum
dicam et inauditum. Quare nihil mi-
hi relictum uideo nisi illud unum,
quod, toties a Te, conceptissimis uer-
bis rogatus, facturum me recepi, ut
DEVM O·M· quem patrem Tu, et salu-
tis Tuae unicum auctorem, haud simu-
lata religione, inter paucissimos, ue-
neraris, pro Te, o candidissima anima,
precibus fatigare numquam desistam.
Valetudinem, Tibi deinceps melio-
rem, et quali dignus es, ex animi mei
sententia, adprecer, Teque uitae huius
molestiarum pertaesum, et meliorem,
quae Te certo manet conditionem
impatientissime desiderantem, sero
demum caelo, a quo nobis diuino

LECTO-

) III

mune-



munere concessus es, reddi, cum
omnibus uelim, qui meliores litteras,
et uirtutem seuera lege colunt. Ita
bene uale, La Crozi optime, et filii mihi
pietate prosequende, uirtute Tua
fruere, libellum hunc obsequii mei
refferam accipe, et me quemadmodum
adhuc fecisti, quando magis uix potes,
quam diu a Te colendo discessionem
non fecero, haud grauatim ama. In
academia Fridericiana A. D. xviii Cal.
Februar, ∞ lcccxxxvi



LECTO-

PRAESIDI CLARISSIMO

S. P. D.

SIGISM^o IAC^o BAVMGARTEN

The. Pr. Or.

Facit paternā amicitia, amor in TE meus
cultus a TE diligentissime, et honoris ele-
gantissimae scriptiois dedicatione ante ses-
quiannum et quod excurrit mihi delati recordatio,
atque adeo ipsum grati animi officium, ut hanc
gratulandi opportunitatem nactus aliquid ad TE
litterarum cum bonis verbis dandum esse omnino
existimem. Laetissimo enim hoc tempore TVO, quo
in celebritatem academicam prodis dexteritatem pu-
blice periclitaturus, et gnaris ingeniorum arbitris,
prisci litterarum decoris amanibus, antiquam do-
ctrinam elegantias et humanitatem probaturus mi-
rifice, a me laboribus quidem obruto, litterarum ta-
men et amicorum non immemore id certe non impe-
tro, ut officio desim, neque significem, quanti a
me fias, et quam bene cupiam litteris antiquis in
quibus

quibus ornandis, amplificandis, a contemptu et interitu vindicandis rarissimo apud nos exemplo totus elaboras. Quare ut uniuersum argumentum paucis complectar, TIBI vere gratulor, bonis litteris gaudeo, academiae bene ominor, et fausta quaeuis non ex Tusca disciplina, sed certissimis primitiarum indicis, auguro. Vnum est quod vehementer TE etiam atque etiam oro, ut contra maleuolorum obscuros insulius virtuti et industriae fortiter insistas, utilitati publicae DEO et ciuitati sacrae viuas, de litteris humanioribus deliciis TVIS immortaliter merearis. Ita mihi prospere omnia eueniant ut haec non spero sed prouideo, et ex animo precor. Vale rectissime. dedi in Fridericiana ad d. iiii. Id. Ianuar. c. 1766 xxxvi.





LECTORI AEQVO ET BENEVOLO

PRISCVM FELICITER

Etsi semper in ea fui sententia, ut animum ad antiquas res noscendas adiicienti, ueterum libros sumendos unice in manus et uersandos adsidue crederem: non abiiciendam tamen, quae

A I

ad

ad hodiernum diem declarandis iis impenditur operam, ea lege et omine, iudico, si ad limpидissimos fontes continuo deuertendi, necessitas legentibus quaedam imponatur. Quod in Dionysiis certe, de quibus superiori tempore aliqua mihi obseruata in lucem emittere incipio, uolui efficere, et capio magnum fructum, si quidem quod uolui sum consequutus. Ad quae cognos-

gnoscenda prius, quam eos,
qui haec in manus sument
dimittam, uel tribus uerbis ad-
monendi mihi sunt, de initi-
a me consilii ratione. III Pri-
mum cum illiberalis hominis
esse semper censuissem, alio-
rum scriinia compilare, et cen-
ties repetitam cramben, ut fit
fere, adponere: uisum est ad
ea animum et cogitationes
conuertere, in quibus alios
aeque elaborasse, meamque

anteuertisse diligentiam, consequi indagando non possem. Quod quam arduum esse soleat, quamque difficile ac molestum, malo ab amplissimo uiro CORNELIO VAN BYNKERSHOEK, cultioris iurisprudentiae oculo, propositum elegantissimis uerbis disci; quam latius hic disserendo Suffenus iudicari. Illud inter ea uideor mihi posse contendere, dedisse me operam, ut longa
-III- II'A pro-

prouisione prius dispicerem,
quam quae mihi in mentem
uenissent, derelicta ab aliis ar-
bitrarem. Et factum nihilo
minus uereor, ut uel satis sem-
per non cauerim, uel non po-
tuerim certe cauere. Quod ubi
admissum obseruau, bona fi-
de indicare, neque Maeandris,
aut deuerticulis uti, putau
esse ingenuitatis meae. Vidi
igitur, post haec tantum non
omnia litteris exscripta, quae-

VI PRAEFATIO

dam, pauca illa quidem, sed
tamen aliqua, in ANTONINI
MONGITORIS bibliotheca Sicula
posita, quae in dissertatione,
praetermissa aliis modo exhi-
bitura, locum non inuenis-
sent, si primam rarioris libri et
paucis forte apud nos uisi, par-
tem, quam postea instructissi-
ma illustris Cancellarii IO. PETR.
A LVDEWIG bibliotheca suppe-
ditauit, aliquanto prius inspi-
cere licuisset. Deinde uir sum-
mab III A mi

mi PETRI BVRMANNI consilio
usus, non dixi neque de Dio-
nysiis omnia, neque de cete-
ris rebus, sed ea selegi, et seli-
gam etiam deinceps capita, in
quibus ipse quantum ualeam
possem experiri. Haec habui
quae te, lector, monerem.
Festinationem excusare etsi in
consuetudinem fere iis, qui
hodie scribunt abiit, mihi ual-
de necessarium non est uisum,
cui scriptioni inter uaria et
multa

multa negotia natae, mihi que
adeo omnium fortasse, qui
eam legent minime probatae,
ueniam multis uerbis flagitare,
non tam timoris indicium,
quam spei de meritis conce-
ptae significatio uideatur. Be-
ne uale, cetera iam, si tanti est,
lege, mihi que reliqua forte
politius perfectiusque datu-
ro, si deinceps merebor, faue

Dionysijs



Dionysii igitur Siculae aulae, ut ille ait, inclementissimis incubatoribus quando uacuas quasdam a ceteris rebus horas insumere decreui, non alienum ab huius instituto scriptionis uideretur homines eius nominis alios forte in priscae aevi monumentis mihi obseruatos leuiter hoc loco delineare, et tamquam in breui inornataque tabella eorum, qui haec adspicient, oculis subiicere contuendos. Neque uereor certe ne inutilem istam et abutentis otio ingenii disputationem iudicent, qui, cum seuerae artis effectus ament, quantum in minimis etiam tenuissimisque rebus momenti saepe esse positum soleat, cognorint, et posse ad ullius rei summam, nisi praecedentibus initiis, negent perueniri. Quare GERARDI IOANNIS VOSSII, IONSI * alicuius, MEVRSII, ** et IOANNIS AL-

B. I

BER-

* *De scriptor. hist. philos.* l. 3. c. 8. p. m. 249

segg.

** *in notis ad Helladii Besant. chrestomath. p. 31. segg. et libro singulari de Dionysii in thes.*

ant. Graec. vol. 10. p. 579. segg.

VERTI FABRICH, * summorum hominum ac summis ingenii praedictorum laudabilem diligentiam, bonisque et eruditis omnibus suspiciendam, imitemur, tentemusque an fieri possit, ut quamuis par adferre ingenium parem doctrinam nequeamus, numos tamen de nostris aliquos uerecunde et dubitanter ditissimis illorum thesauris adiiciamus. Quos etsi quidquam eorum, quae ponam, fugisse non sum inhumanus adeo, ut autem, namque quod illi non potuerunt, aut nescierunt, quis tam impudens est, qui se scire aut posse postulet: quin reliquerint tamen ponderis maioris materiis intenti non nihil, in quo exercere se aliorum industria possit, si quis addubitet, ne ille homines esse diuinos uiros, non deos, uideretur dememinisse. Vt igitur in hoc genere neminem uersatum illis scientius confitendum est, egoque omnium, qui cupiunt bene de optimis studiis mereri, sentio minime instructum me id efficere conari: uitio tamen opinor uerti mihi non poterit, me de plebe unum symbolam in id conferre meam, in quo tanta et tam cara suo merito bonis litteris nomina, diuisis ueluti inter se uicibus, elaborarint. Verum, ne dum pudori seruiro, temeritatisque inconsideratae fugio aut confidentiae suspicionem, parum conuenienter agere, pluraque dicere de me, quam lectorum ferre plerique possint, censear: age Dionysios, quos me designaturum pollicitus sum, per saturam lancem expromam

I II

I Dionysius est amicus et ab epistolis Antiochi illius, quem ob uitae, regis fastigio indignae, multa de-

* Biblioth. Gr. l. 3. c. 32. n. 20. p. 794. seqq.

dedecora, Epimanem pro Epiphane adpellatum, ab ATHENAEO * accepimus. Sollemni etiam antiquis temporibus in ludibrium et ignominiam detorquendi nomina consuetudine, quam latis eruditisque disputationibus doctissimi uiri GERAR. IO. VOSSIUS **, eique prudentium iudicio, par et secundus IO. ALBER. FABRICIUS *** explicauerunt. II. Dionysius, quem Epicuri disciplinis eruditum DIOGENES LAERTIUS **** scribit, nisi si Metathemenum eo loco intelligendum, Franciae decori et ornamento AEGIDIO MENAGIO ***** obsequiti, credamus. Cuius tamen coniecturam, ne quid dissimulem, adeo liquidam non esse, ut reponi nihil possit, iuxta mecum, opinor, sentient, qui cum eo, quem laudauit, Diogenis loco alium ***** comparare, et ad eum Menagii ***** inspicere adnotata uoluerint. Quem enim Epicuri discipulis, et principibus iis, adnumerandum eo loco Diogenes putauit, quo strictim commemorat, qui ex eius schola philosophi prodierint; de illius aduersus Epicurum studio, quando latius hominis uitam edisserit, sapientium conditorem historiae ne uerbum fuisse unum dicturum, si Epicuro is, ut in mentem uenit Aegidio, nomen omnino dedisset, parum credibile mihi quidem certe uiderur. ATHE-

B II NAEL

* *Deipnosoph. l. 5. p. 185. edit. Commelin. 1611*
proditae

** *Orat. instit. l. 5. c. 5. p. m. 322. seqq.*

*** *Bibl. Gr. l. 1. c. 29. n. 8. p. 171. seq.*

**** *l. 10. segm. 25. p. 614. ed. Weissen.*

***** *obserrat. p. 456*

***** *L. 7. segm. 166. p. 471*

***** *p. 334*

NAEI * uero et LVCIANI, ** sexcentorumque praeter
 ea aliorum auctoritate, si quis iudicet confici posse, ut
 potest omnino, defecisse Metathemenum ad Epicurum,
 eum nihilo secius non infirmare sententiam meam
 me opinari profiteor. III. Dionysius frater natu maxi-
 mus Ergini et Dioclis Syrorum, quorum ope in expug-
 nanda Corinthi acropoli usus Aratus apud PLVTAR-
 CHVM *** dicitur. Eiusdem indicio **** III. Dionysi-
 us Messenius, ut dicitur, genere is quem uatum
 consilio interficiendum Alexander M. malum expa-
 uescens omen, curauit. V. Dionysius Phocensis Ionum
 praetor, cuius ad Graecos, qui a Persarum rege defe-
 cissent, oratio grauis in primis et elegans fertur, ac in
 HERODOTI, ***** dulcissimi scriptoris, libris etiamnum
 legitur. VI. Dionysius Dionysii, sodalium Herculis
 praefectus, ***** cuius *Ἰνδισμῶν*, in IACOBI SPONII V.C.
 miscellaneis eruditae antiquitatis ***** representa-
 tum, operae pretium fuerit, illustrarum doctissime, co-
 gonscere in miscellaneis obseruationibus in auctores ue-
 teres et recentiores, ***** quae maximo Graecarum
 et Latinarum litterarum, atque elegantiae adeo omnis
 bono, in Belgio ab aliquo tempore edi sunt coepae,
 et, utquam diu litteris honos habebitur, continuen-
 tur, serio uouent, quotquot meliores amant disciplinas

III

* l. 10. p. 437

** in bis aduersato p. 226. edit. Amstel. 1687

*** in Arato opp. to. 1. p. 1035. ed. Francof.
1620

**** in Alexandro ibid. p. 705

***** l. 6. p. 213. ed. Graecae Hen. Stephani

***** Ἀρχιδιαιίτης

***** pag. 343

***** uol. 3. t. 2. pag. 182. seqq.

III

Dionysios alios, quorum frequentia sunt nomina in priscarum corporibus inscriptionum, adnotandos iis relinquo, quibus uel ad inuestigandum otii plus concessum est, quam mihi datum in praesenti uideo, uel ex indicibus ceterisque desidia et ignorantiae multorum praesidiis, uix obiter libris ipsis inspectis, iustos contexere libellos uolupte est. Ego hoc loco neque paucos, neque ignobiles, sciens praerere et uolens, de quibus ante, quam aliquid dicam, cogitandum mihi amplius puto. Esse enim in his rebus aduratione summa opus, multorum exemplis admoniti didicimus; ne quae unius sunt hominis, nomina, prono et facili in his studiis errore pluribus adtribuuntur. Ad quae si quis aptos in primis, et ueluti fauos a natura illos iudicet, qui cogitandi laborem non ferunt, ut sunt multi a nostris litteris animo tam alieno, uel palam talia profiteri, seque eadem opera turpiter dare non erubescant: eum falli egregie, et intelligendo facere, nihil ut intelligat, dico et prae me fero. Tamen quoniam in IACOBI SPONII * cultissimi medici et aduersus antiquitatem amore cum paucissimis conferendi, suscepti in Graeciam finitimasque terras itineris descriptione, Dionysios duodecim aliquot exsculptos e lapidibus me legere memini: eius loca inferius posui, ut uel hoc exemplo admonerentur, quos benignis oculis fortuna respexit, quantum interesse eruditionis debeat uideri, excutiendorum tabularum ruderumque

B III

adeo

* Edit. Gall. Amstelae. 1679. uol. 1. p. 374. p. 379. uol. 2. p. 378. p. 381. p. 382. p. 388. (e. Grutero) p. 365. p. 426. p. 429. p. 434. p. 438.

adeo uetustate detritorum caussa, a uiris ingenio et doctrina praestantibus regiones adiri antiquioribus celebratas, uel beatoris aevi seruatis reliquiis etiamnum insignes

III

Sed haec nec libet hodie, nec uacat, latius dicere, ne a proposito egredi uidear. Sequitur, ut ad Dionysios ueniam meos, quidni enim meos dicam, in quibus ornandis aliquid operae me positurum superius significauit. Quorum historiae scriptores aliquos a me laudari, quos uel uiderim ipse, uel, amissos dudum, cognitos aliunde habuerim, nemo, meo quidem animo, aegre feret, qui, quas ita me instituendi caussas habeam, cognorit, et posse me is ipsis inrento digito demonstratis non male de Dionysio mereri, intelligat. Satis fuerit seruare propositum, et nisi intacta aliis, quantum quaerendo quidem et legendo adsequi potui, mihi quae explorata satis non adferre. Hic igitur ut nihil de Siciliae rerum aliis auctoribus, quando serius se mihi obtulit, quam ut reperto thesauro uti possem, praestantissimum eorum corpus, quo donauit rem litterariam, a quo illa tot tantaque habet ornamenta PETRVS BVRMANNVS uir omni laude maior: nihil de eius insulae numis, quos in bono lumine HVBERTVS GOLZIUS et IOANNES MARIA AMATVS collocauerunt: nihil de ceteris dicamus, quae, fauentibus bonis Musis, lucem mox debitura elegantissimo uiro IACOBO PHILIPPO BORBILIO, speramus. Cuius Siculum iter non potest impatientissime non efflagitari ab omnibus, qui uel e PETRI BVRMANNI, quem honoris et admirationis caussa semper nomino, disciplina eum prodisse, uel tanti uiri et sciti, si quisquam, ingeniorum aestimatoris iudicio, in principibus Bataviae litte-

litteratorum olim numerandum * meminerint. Ut silentio praetereamus etiam Siciliam, AVGVSTI imperatoris librum, uersibus scriptum hexametris, et SVETONIO ** memoratum, ut ea denique non adtingamus, quae de Dionis et Timoleontis rebus, in Sicilia gestis, deque Dionysiis adeo se consignasse ARRIANVS in Bithynicis scripserat, NOTIO in bibliotheca *** auctore: ut haec inquam reticemus omnia: de illis commentabimur in primis, quorum auctoritati obsequutus DIODORVS SICVLVS in concinnanda Dionysiorum historia reperitur, quem recentiores deinde uiri docti fere descripserunt. Ceterorum modo nomina ponam, neque obscura illa, neque cuiquam paullo humaniori ignorata; non praetereunda tamen, ut habeant, a quibus petant, qui totos Dionysios, non naeuo aliquo

* Praefat. ad Phaedr. nouo commentario optimae frugis plenissimo instructum, cuius omnia exempla intra paucorum annorum spatium diuendita, bonum omen interioribus litteris interpretamur p. 38.

** c. 75. p. 269. edit. Graentii prioris, ubi uidendus tamen Casaubonus.

*** cod. 84. p. 130. edit. Graecae D. Hoeschelii. Μνηται δὲ ἐν ταύτῃ τῇ συγγραφῇ καὶ ἐτέρων πραγμάτων ὧν ἡ μὲν, ὅσα Τιμολέοντι τῷ Κορινθίῳ κατὰ σικελίαν ἐπραχθῆναι διαλαμβάνει ἡ δὲ τὰ Δίωνι τῷ συρακουσίῳ ὅσα ἀξιαφῆγητα ἔργα ἐπετελέσθη ἡνίκα τὰς συρακουσίας καὶ πᾶσαν σικελίαν ἀπὸ τοῦ δευτέρου Διονυσίου, ὃς ἦν πᾶσι τοῦ προτέρου ἡλευτέρου καὶ τῶν βαρβάρων οὖς ὑπὲρ τοῦ Βεβώως τυραννῆν Διονύσιος ἐπηγάγετο

aliquo aut crepundiis, sed corpore omni uelint cognoscere.

Primum inter eos locum, qui Dionysiorum res ad-

tigerunt, Philisto non dubito adsignare. Homini, quo uel nemo, uel paucissimi certe ad scribendam historiam instructiores omnibus praesidiis accesserunt. Quae enim duo in commendanda gestarum praeclare rerum ad posteritatem memoria plurimum possunt, adcurate, quo singula modo peracta sint, tenere, ingenioque ualere et eloquentia, quorum auctoritatem alterum, alterum gratiam solet conciliare: ea in Philisto haud uulgariter eluxisse, frustra sim, si docere eos uelim, qui uel Diodori monumentis oblectantur, uel Ciceronis loca, a GER. 10. VOSSIO * diligenter adnotata, inspexerint.

Qui de Philisto pariter, et ceteris, quos deperditos memorabo, omnia fere, quae dici possunt, ut solet, in libro de historicis Graecis est complexus. Neque est mihi in mundo, quod adiciam, nisi Ciceronis uerborum PETRI VICTORII ** ac M. ANTI. MVRETI, *** antiquae iudicum eruditionis, interpretatio, cui duo adiungam ego testimonia oratoris summi, animorumque acquissimi iudicis, de Philisti in dicendo facultate. Eorum uno **** expressum a Philisto Thucydidem ait, qui omnes dicendi artificio facile uicerit, et ita creber sit rerum frequentia, ut uerborum prope numerum sententiarum numero consequatur:

* L. I. c. 6. p. m. 25. seqq.

** *Uariar. lectt. l. 32. c. 19. p. m. 908. conf. lao. c. 10. p. 239*

*** *uar. lectt. l. 2. c. 5. p. 30. edit. Plantin.*

**** *de oratore l. 2. p. 106. T. 1. edit. Londin.*

tur: altero * Catonem, at quantum alioqui uirum, et originibus praeter ea omnibus oratoris laudibus refer- tis clarum, cum nostro comparatum, quem ne e Graecis quidem quisquam imitari possit, aegre fert et indignatur. Is igitur Philistus, quem tanti fecit Ci- cero, auctor ualde bonus, et omnium sententia in his rebus princeps, quem CORNELIVS NEPOS ** in libro de Graecis historicis commendauit, et naturalis conditor historiae PLINIUS *** legit; duobus adeo scriptis praeclare de Dionysiis est meritus. De eo enim libro, quo Siciliae rerum octingentorum annorum memo- riam, ad captum usque Agrigentum, olympiadosque LXXXIII annum tertium, colligauit, **** nihil adinet dicere. Ab eo uero tempore, quo primum scilicet Dionysius pater, artibus usus, ut soler fieri, uariis, Siciliae incubauit, eius historiam libris quatuor est persequutus. ***** Fili deinde rebus duos ***** dedit, et utriusque sex adeo, ut SVIDAE ***** etiam notatum. Hos uero separatim, ut uiderur, a ceteris edi- tos (quando M. TVLLIVS ***** lectos sibi de Dionysio, non Dionysiis, commentarios meminit,) derelictos

C. I. ante

* In Bruto p. 150.

** in Dione c. 3. n. 2. Philistum historicum - - -
-- hominem amicum non magis tyranno, quam tyrannidi. Sed de hoc, in eo meo libro, qui de historicis Graecis conscriptus est **

*** H. N. l. 8. c. 32

**** Diodor. Sic. bibl. hist. l. 13. ed. Steph. p. 387

***** ibid.

***** l. 15. p. 504

***** in Philisto

***** ad Q. fratrem l. 2. ep. 12

ante, quam in exsilium Dionysius ageretur, annis octodecim, uno libro perfecit, et ad ea usque tempora, quibus uersari inter homines Philistus desiit, continuauit ATHANAS Siracusius, qui XXXIII libris Dionis historiam adornauit *

VI

Philisto, PHOTII, ** qui utrumque legit, iudicio, inferiorem THEOPOMPVM adiungo Chium, in historia circumscriptione quadam, ambituque usum, eius, in cuius ludo formatus est, Isocraetis exemplo, *** hominem multorum iudicio nimia in scribendo religione. **** DIODORI ***** quidem iudicio, qui aliorum etiam eius meminit, de gestis Philippi rebus LVIII libris consignatis; tres a quadragesimo ad tertium et quadragesimum, intexuit, quibus a senioris Dionysii dominatu orsus, ad iunioris exsilium, gestas ab utroque res exposuit. Quae si ita sunt, ut scribit Diodorus, nel exhibentur certe in exemplis, quae quidem uidi, prope omnibus, neque falsus est Athenaeus, illud consequetur, ut, aliud agendo et per occasionem, in ceteris etiam libris de Dionysiis aliqua memoriae tradidisse Theopompus uideatur. ATHENAEVS enim, quibus locis

* L. 15. p. 507

** in bibl. cod. 176. p. 204. cui iungenda omnino incomparabilis uberrimaeque scientiae uiri, I. A. Fabricii, bibl. Gr. l. 5. c. 38. p. 434 et seqq.

*** in oratore p. 167

**** ibid. p. 163

***** J. 16. p. 548

is de Dionysius tradit, Theopompi Philippicae historiae libros XXI. XXVI. XXXX. XXXXV, et alios fortasse, qui ad animum iam non occurrunt, inspectos a se fatetur *

VII

Isthoc hand paullo lenior, ** ex eadem clarissimi rhetoris officina, *** ad historiam se contulit EPHORVS, praestans, ut ille, uir ingenio. De Graecorum et barbarorum rebus, octingentorum annorum spatium triginta uoluminibus est complexus, quae tribus annis, post exactum in exsilium Dionysium iunio-rem, absoluit. **** Inter orationis faciendae et or-
nandae locupletissimos auctores, referendum eum M. TVLLIVS **** duxit, et, alio loco, ***** in definiendo oratorio numero, eius iudicio usus inuenitur. Cuius fuit certe studio tanto, ut natos ei subinde in prosa oratione uersus, THEON in progymnasmatibus ***** adnotarit. Qualia quando in uitio poni, quando laudari contra debeant, erudite et cultissime, ut ad-
soler, docuit, ipsis non infitriando Musis opere, de natu-
rali pulchritudine orationis, ***** declaratis doctissi-

C. II

me

* Deipnol. 6. p. 160. § l. 10. p. 435

** Cicero de oratore l. 3. p. 125. ad Atticum l. 6. ep.

I. p. 161

*** de oratore l. 2. p. 106

**** Diodorus Sic. l. 16. p. 150

***** in oratore p. 165

***** ibid. p. 166. et seq.

! ***** περὶ τῆς τῶν νεῶν ἀγωγῆς

***** pag. 315. auersa, ad p. 333

me Ciceronis, quibus de his praecipit, locis, elegantiorum litterarum in Germania nostrastator unicus, IO. GVILIEL. BERGERVS. Exempla uero eius generis plura, uti de Isocratis olim orationibus Hieronymus fecit, peripatericus nobilis, collegerunt DAVID HOOGSTRATANS * GOTTL. CORTIVS, ** antiquae eruditionis non mediocrem gloriam adeptus, et diuini in litteris nostris uiri, PETRVS BURMANNVS, *** ac IO. ALBER. FABRICIVS, **** quosque illi magno numero laudauerunt

VIII

Verum de his quidem satis a me iam dictum, plus etiam, quam debebat, quibusdam uidebitur. Ceteros eius, de qua disputare institui, principes historiae auctores, temporum iniuria cum tot aliis absumtos, malo a Diodoro descriptos legi, quam hic nulla noua dote instructos ex eius libris producere. E quibus omnibus quantum profecisse Diodorus ille censendus sit, quantum alii iudicent, qui id sciunt, aut possunt omnino iudicare. Ego certe qui diligentiam in Dionysiorum tradendis rebus et adcuracionem doctis approbari, quem ante Diodorum adpellem, habeo omnium qui-

* ad illa Cornel. in praefat. nos in Graiorum uirtutibus exponendis

** ad Sallust. Catil. c. 19. n. 4. p. 125. et ad Ing. excursu 1. p. 923

*** ad Quinctil. de institut. oratoria l. 9. c. 4. p. 852

**** bibl. Lat. uol. 2. c. 21. p. 746. seqq. adice, si tanti uidetur, Caspar. Sagittarium de lectione atque imitatione Ciceronis p. 124. seq.

quicumque sunt neminem. Quae etsi ita se habent omnino ut dixi: illud tamen infitias ire nemo potest, commodissime cum Diodoro coniungi ueterum scriptorum libros alios, quibus non segniter inspectis lucis plurimum Dionysiis nostris accedere, tam clarum uideatur, quam solis esse radii solent, ubi sudum est. Sumantur ergo mihi in manus, quae in hoc genere sunt commentati Plato, Aristoteles, Xenophon, Isocrates, Plutarchus, Halicarnassensis Dionysius, Aristides, Polybius, Strabo, Aelianus, Athenaeus, Diogenes Laertius, Lucianus, Helladius Besantinus et alii forte e Graecis: e Latinis, ille omnium princeps Cicero, Lilius, Plinius, Seneca, Cornelius, Iustinus, Valerius Maximus, Solinus, Macrobius et Lactantius. Quorum loca partim adlata ab aliis, partim a me in hac, et ea quae succeder, scriptio in testimonium aduocanda, superuacuum duco prius adpingere, quam iis fuerit utendum. * Quae certe nemo adspexerit et inter se paulo diligentius contenderit, quin locum ingenii uiribus experiundis, eruditionisque explicandis copiis, in iis, quae ad Dionysios pertinent, relicum una fateatur. De quo dubitabunt etiam minus, qui a magnis uiris, et multis litteris praeditis, GOLZIIS, ** RHODIGINIS, ***

C. III

VI

* Nomina tamen eorum in id potui, quod multa, quae in iis praecclare de Dionysiis docentur neglecta a multis, et praeterita, nescio, quam ob causam, inueni

** in Sicilia et magna Graecia ex antiquis numismatibus Antuerpiae prodita 1644 p. 148. et seqq.

*** antiq. lectt. passim

VICTORIS, * GYRALDIS, ** MEYERSII *** FABRICII ****
 et HEVMANNIS ***** temporis aliquid positum in
 Dionysii illustrandis perpenderit. Post quos etsi
 pauca me, quae ex usu sint, posse in medium profer-
 re, pulchre uideam: satis habeo tamen, si uel pau-
 cissima, pro copiis meis, quas noui quam sint exi-
 guae, expromam. Et reliqua quidem alio tempore
 exponam, ubi exorsa haec tela resumenda fuerit; in-
 genium Dionysiorum, hodie quibus rebus sciam et po-
 tero breuiter tamen et strictim declaraturus

VIII

Ingenio fuere Dionysii bono in primis, iocis uero,
 quem ad modum Siculi omnes excelluerunt. Cuius rei
 tam clara sunt tamque illustria in ueterum libris do-
 cumenta, ut uerear magnopere ne lectorum abuti pa-
 tientia iudicet, si adferre uellem quaecumque eam in
 rem dici possent. Quare comprehendam breui, quae
 habeo omnia. Primum igitur de patre in sententiam
 meam facile concessuros confido, qui quibus ille artibus

III - C

* in lectt. uar. quorum loca index exhibet

** de poetarum historia dialogo 7. ubi de Dio-
 nysio patre uerba faciens, eum scribit Corin-
 thum in exsilium, misit in memoriae procul du-
 bio uirio. opp. t. 2. p. 383. ed. Iensii

*** De Dionysii c. l. p. 599

**** bibl. Gr. l. 2. c. 19. p. 657. 677. et 756

***** epistola, qua pro Dionysio Siciliae roge a
 numero ludi magistrorum segregando est
 admissus

ad firmandam tyrannidem usus sit, quibus deinde argumentis, leuibus quidem, sed ioci plenis, furta, templorumque compilationes tegere fuerit solitus, relatum legerint. Numquam, credo, prudentiae et circumspeditionis grauiore testimonio potuit ornari, quam ornatus a Scipione in POLYBII excerptis * legitur, qui eum sollertissimum, et cum iudicio audacissimum fuisse, adfirmat. CICERO** uero, quo loco eius furtorum meminit, quibus illa acute dictis in speciem excusarit, testatum simul ad posteritatem reliquit. Equo auctoritatis gratia aliqua ponam. Cum fanum Proserpinae Locris expilauisset, et Syracusas secundo uento nauigare, ridens: uidetisne, inquit, amici, quam bona a diis immortalibus nauigatio sacrilegis detur. Ioui Olympio aureum amiculum detraxit, causam interserens, aestate illud graue esse, hieme frigidum. Alio tempore, cum bonorum Deorum mensam, quam commentatores ad AELIANVM, *** doctissimusque IO. IENSIVS **** illustrarunt auferri iussisset, bonitatem se bonorum deorum uti uelle dicebat. Tali ingenio cum esset Dionysius pater, et ea praeterea indole, ut iure meritoque praeferrri multis regibus posset: ***** ad litteras discendas animum adiecit. Quibus uero et quo successu, operam dederit, dissentientibus praesertim mirum quantum antiquis scriptoribus, altera dissertatione erit docendi locus, cui subie-

* Ex his tor. l. 15. p. 721. ed. Wechel. 1609

** de natura deorum l. 3. c. 34. conf. Petri Victorii narr. lectt. l. 1. c. 1

*** V. H. l. 1. c. 20. p. 32. seqq. Abrah. Gronouii

**** ep. ad Io. Geor. Graeuinum de poculo boni daemnis in lectt. Lucianei p. 404

***** Seneca de clementia l. 1. c. 12

cere Dionysiorum fragmenta apud animum constitui, Medicinam certe, uti nonnullis placuit, neque patrem exercuisse, neque filium doctissime, ut omnia, docuit nostrae academiae, decus, io. HENR. SCHVLZIVS in historia medicinae. * In iunioribus Dionysio quamquam degenerasse naturale quoddam stirpis bonum possemus, si id iam ageretur, nullo negotio probare: eluxit tamen in eo etiam ingenii quaedam vis et significatio. Cuius rei exemplum laudarem inuentas, primum ab eo, catapultas, nisi, quod nostro attribuit AELIANVS, ** ad patris tempora, referendum DIODORVS duxisset. Certe, eius, apophthegmata a PLYTARCHO *** conservata, ab ingenio nostrum minime destitutum fuisse, satis, mea sententia, declarant

Verum haec quidem cum reliquis, quae nec pauca habeo, nec ingrata legentibus fore confido, ut primum otii aliquanto plus habere coepero, posteriore persequar dissertatione. De qua nihil habeo quod dicam, nisi prouisurum me diligentissime, ut in expolienda illa temporis a me aliquanto plus, quam in hac quidem fieri potuit, insumatur

* *Period. I. sect. 3. cap. 6. n. 48. p. 328*

** *V. H. L. 6. c. 12*

*** *T. 2. p. 176*

EXPLICITA EST
DE DIONYSII PRIOR DISSERTATIO

COROL.

M. JACOBI ...
COROLLARIA

IV I

Ingenio et eruditione antiquiores sapientes doctis
nostra aetate hominibus multum praestare, in-
victis argumentis potest demonstrari

II

Qui falso diuinum Afrum pronuntiare, nullum esse
iam dictum, quod non dictum sit prius, calumniantur,
imperite nidentur agere

III

Qui in recensendis ueterum scriptorum libris illud
unice agunt, ut ea tantum modo lectio, quam optimi,
qui hodie exstant, codices praefereunt, ad posteros
transmittatur, commodissime facere sunt censendi

III

Criticam ingenio tantum adiutum exercere uelle,
saepissime est ingenio abuti. Quae e codicibus MSS.
et antiquis editionibus sagaciter inspectis emendari ad-
parent posse, ea in notis proponi, quam in contextu
collocari consultius fuerit

V

Non potest hominum ullum genus eo, quod se-
uera lege humanitatis disciplinas tractauerit, utilius, aut
D. I litteris

litteris in uniuersum, aut publicae rei, aut sanctiori-
bus studiis excogitari

VI

Fieri potest ut bonis libris melius consulrum indo-
ctis typographis, quam eruditis, iure existimetur

VII

Interiorum litterarum utilitas admodum est exigua,
aut uerius nulla, si ad eum modum, ad quem solent
plerique hodie, ut canes de Nilo, eas degustaris et fu-
geris

VIII

Ad Rom. VIII. u. XXI. *et* pro *et* positum et IO. HEN.
MAU sententia stare posse uidetur

VIII

Cohibendi sunt hodie potius multi a scribendo, quam
ad commentandum aliquid, adigendi

X

Pandectae Florentini IUSTINIANI aetate non sunt de-
scripti

XI

Critica facultate pollere, in praecipua laude merite
ponitur

72 May.

01 A 6670




Sb.


VD 18

VJ 17

VD 18







38

AMPLISSIMO AC DOCTISSIMO
MAGISTRO PRAECEPTORI
DE
DIONYSIIS
SICILIAE TYRANNIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA
PRID· ID· IANVAR· ∞ 1000XXXVI
PVBLICE TVEBVNTVR
FRID· GVILIEL· ROLOFFIVS
BEROLINAS
ART· ET PHIL· MAG·
AC
DEFENDENS
AVGVSTVS PETRVS BORNEMANNVS
SCHOENEBECCA MAGDEBVRGICVS

LITTERIS IO· HENR· GRVNERTI ACAD· TYPOGR·

34

